

HIERONYMVS MAYTING SVFFRAGANEVS SALISBVR/
gensis.



Hieronymus Augustæ Vindelicorum natus et
educatus fuit. Hic post percepta in patria pri-
ma literarū rudimenta sese hinc inde ad academias
contulit, et magnam eruditionem acquisiuit. In pri-
mis autem legibus operam dedit, & Doctoris gra-
dum suis uigilijs sibi comparauit. Hisce addebat sa-
crarum literarum studium. Itaq; cum talis esset, Sa-
lisburgensis suffraganeus electus fuit. Eam functio-
nem is magna dexteritate peregit, atq; in Bauaria
anno circiter 1545 in magna existimatione fuit. erat
enim præclaro iudicio insignis, atque iuuentutem
suo exemplo indies ad studia et uirtutes excitabat.
Cum hoc modo diu rebus præfuisset, tandem o-
bijt, & Bertholdum in suffraganeatu successorem habuit, qui hodie ijs in locis
agnoscitur. Anon.